

322

Lib. II. Cap. XII.

differenter omnium, sed eorum, quæ alias per
vocem subjecti loco positam significari pos-
sunt, e.g. cum dico: *Unica femina fuit in Para-*
diso. vocabul. *UNICA* non indifferenter
omnia à subjecto excludit, quasi præter fœmi-
nam nihil aliud fuerit in paradiso, fuit enim
Adam. fuit serpens; sed excludatur ea, quæ
per subjectum *femina* poterant significari,
seu omnes aliæ fœminæ, & sensus est, uni-
cam fœminam & non plures fuisse in Para-
diso.

7. Nota 3. Licet enunciatio dicitur exclu-
siva à signo exclusivò, exclusivè sumtò, non
tamen omnis enunciatio exclusiva est, quæ
quocunque modò habet signum exclusivum.
Nam e.g. cum dico: *Qui solus nos redemit, est*
Messias. Christus est is, qui solus pro peccatis nostris
sacrificavit, non sunt exclusivæ, sed sunt tantum
de extremò exclusivò, in priori subjectum est
exclusivum, in posteriori autem prædicatum.
In priori enim subjectum est integra enun-
ciatio, quamvis imperfecta, quæ exclusiva
est, tota autem enunciatio perfecta cuius est
hoc subjectum, non est exclusiva. Idem sen-
tiendum est de alterò exemplò.

8. Illæ g. exclusivæ erit, in quâ si-
gnum exclusivum refertur vel ad sub-
jectum vel prædicatum principale enun-
ciationis, vel ad signum particulare, ibi-
que